

Letter 254: 8 November 1525, Strasbourg, Capito to Petrus Wickram

The manuscript of this letter is in the Staatsbibliothek, Munich, ms. clm. 10357, # 24.

Eximio viro domino Petro Wickgramm, theologo concionatori ac pastori Enßhemensi, fratri suo in Christo Iesu dilecto. Pro Felice Ulscenio.

5 Salve mi pater. Captus est a gubernatoribus provinciae Felix Ulsenius, iuvenis pius ac integer, evangelii assertor, cuius consuetudo et educatio a suspicione etiam cuiusvis longissime
10 semper abfuit. Quem audio misere torqueri, hominem nimirum innocentissimum, vereor ne cruciatus eius professionis ac virtutis Christianae maximum regioni malum sit illaturus. Nam Dominus vivit et regnat, ultor sanguinis innoxii. Quare tuum fuerit, mi pater, ordinem istum iudicum admonere officii, humanitatis, pietatis, viventis Dei, reddendae rationis, ne quid aliunde
15 exacerbatu atrocius in illum designent. Sunt quidem fere equestris ordinis occupati profanis rebus ex recenti periculo tumultuantium rusticorum acres atque iniquiores Christi professoribus quod seditiosorum turba Christum suae perfidiae cum offendiculo pertruderit. Tu autem contra sacrae peritiae nomine atque usu insignis, quid scripturae aut incomodi aut emoluenti publicis rebus conciliet probe tenes et pro tua observantia siquidem doctor ac parochus potes ac debes patronum
agere fratri laboranti aut certe privatos amicos per auctoritatem severius cohortari ne in illo
15 mactando iudicium domini irritent adversus inhumanam impietatem. Vale et verbo Domini pereas, mi pater et frater. Argen. 8 mense Novembri anno 1525.

V. Fabritius Capito.